



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus**

**Antonelli, Giovanni Carlo**

**Velitris, 1650**

Svmmarivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11401**

uar. apud Ricc. in collect. dec. 2867. par. 7. Nauar. d. conf. 11. de Iureiur. & alij permulti, quos refert, & sequitur Barbof. d. all. 61. n. 20. vbi etiam dicit, quod secundum hanc sententiam determinauit Rota Romana sub die 13. Iunij 1608. coram Sacrato, idque probatur per textum, qui loquitur de fidei professione, in cap. optatum tibi 100. dist. ibi, nec aliquem, qui hanc iureiurando firmaret, miseris, tum etiam quia fidei professio nihil aliud est, quam solempne iuramentum, quod constat posse praestari etiam per procuratorem, vt ex cap. 1. §. verum quando, vbi glos. ver. praestet de stat. Reg. in 6. Vnde prouisum non amittere fructus, si procurator, cui mandatum dedit, fidei professionem non emisit ipso infcio absque culpa, resoluunt Doctores apud Dianam d. p. 5. tr. 14. ref. 23. in fin. cuius rei rationem, assignat Nouar. apud Ricc. in dict. Collect. decif. 2867. quia cum fidei professio requiratur ad declarandum, animum suum esse veram fidem corde, & verbo constiteri, per consequens hoc adimpletur ex solo mandato ad illud faciendum: prout dicimus de aditione hereditatis, quae cum in animo consistat, solum mandatum ad adendum sufficit ad hoc, vt dicatur aditio facta, vt notat glo. & Doctor. in l. per procuratorem 89. ff. de Acquir. hered. speciale autem mandatum censetur datum non solum quando datur explicitè ad faciendam fidei professionem, sed etiam ex mandato ad

capiendam possessionem beneficij, seu Canonicatus: quia in mandato generali ad faciendum aliquem actum, in necessarium antecedens veniunt omnia, quae ad illius expeditionem sunt necessaria, vt decisum refert Nouar. vbi supra.

## S V M M A R I V M.

- 1 Excommunicatus, vel suspensus an sit priuatus fructibus beneficij, & an alendus sit ex eisdem fructibus.
- 2 Pensionarius excommunicatus an lucretur redditus pensionis.
- 3 Fructus beneficij, si Beneficiatus illis per sententiam priuetur, applicandi sunt ecclesiae, vel pauperibus.
- 4 An Episcopus possit dispensare, vt quis retineat beneficium obtentum tempore excommunicationis.
- 5 An valida sit possessio capta ab excommunicato.

## C A P. XV.

An excommunicatus ipso facto priuetur fructibus beneficij.



Riplex hac in re est Doctorem sententia: alij enim asserunt excommunicatum excommunicatione maiori priuari ipso iure fructibus beneficiorum, etiam si de hoc nihil dicatur in sententia, vt post Abb. & Felin. resoluit Ripa